

git ad diuine pietatis, ac misericordie montem, vt optatis fruatur, illisque adeptis congaudeat, vnde recte ait D. Paschas. lib. 11. in Matth. Cum lachryma effunditur, misericordia Dei superinfunditur.

LUC. 14. n. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

VERSIONES.

Syriacus. Ita quisquis ex vobis non reliquerit omnem possessionem suam, non potest mihi esse discipulus.
Caictanus. Qui non valefacit omnibus, quæ sunt ei.
Origenes. Qui non abrenunciavit.
Arias. Qui non renuntiat omnibus suis substantiis.

EXPOSITIO V.



QVOMODO hæc conclusio Christi Domini cohæreat cum superioribus, multis difficile visum est; quod dupliciter explicatur. Primò cum D. Bonauent. qui sic ait; Ac si dicat Dominus: Sicut edificans non potest consummare sine sumptibus, nec pugnans secure pugnam aggredi sine militibus. Sic nullus perfecte potest sequi Christum, nisi renuntiet omnibus. Secundò. Sicut aggrediens turris ædificationem, vel belli conflictum, prius debet expendere vires, ac facultates suas, an pares sint ad huiusmodi res perficiendas: sic qui desiderat fieri meus discipulus (quæ res satis ardua est) prius oportet secum cogitare, an mei causa, ait Christus, valeat relinquere omnia bona temporalia, parentes, & amicos odio habere, imò & se ipsum, ac vitam abnegare, ne postea magna ignominia, ac iactura sua ab his retrocedat.

Renuntiat omnibus, quæ possidet. D. August. Epistol. 38. ad Lætum, non solum hic intelligit possessiones, sed etiam parentes, & fratres supra nominatos, vers. 26. Praelocutio superior, ait, cum extrema conclusione concordat. In eo enim quod vnusquisque renuntiat omnibus, quæ sunt eius, etiam illud continetur, vt oderit patrem suum, & matrem, & uxorem. Barradas tamen verisimiliter existimat conclusionem de diuitiis, ac possessionibus esse intelligendam. Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet. Sermo est enim de his, quæ possidentur, quod clarius exprimit Syriacus. Qui non relinquit omnem possessionem suam. Parentes autem, & fratres, ac cognatos, nemo dicitur possidere. Non potest meus esse discipulus. Christus, quos vocat ad sui sequelam, ac discipulatum ostendit eis laborem, ac pressuram ferendam: Nisi quis renuntiauerit, &c. Diabolus verò, quos ad se trahere conatur, solum in mundialibus, eis manifestat gratiam, & splendorem, vt Christo in deserto ostendit omnia regna mundi, & gloriam eorum, Matth. 4. num. 8.

52.

Bonau.

Cobarentia 222.

53. August.

Barrad.

Syriacus.

Matth. 4.

QUESTIO VIII.

Quomodo Origenes hæc verba ad Christi sacerdotes refert?

ORIGENES homil. 6. in Genes. præsentem textum, Nisi qui abrenuntiauerit, &c. De sacerdotibus interpretatur, illumque confert cum eo, quod de Ioseph narratur Genes. 47. num. 20. Emit ergo Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis, præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis. Magnum, larumque discrimen interuenit inter sacerdotes Dei, ac Pharaonis. Pharaon terras sacerdotibus suis concedit; Dominus autem sacerdotibus suis partem non concedit in terra, ait enim eis. Ego sum pars vestra. Num. 18. num. 20. Quæ huius rei causa? Pharaon terrenos sacerdotes terrenis deditos volebat; At Deus cum sit totus spiritus, sacerdotes spiritaliter viuentes affectat, vt nulla terrenarum rerum cupiditate teneantur, nullo mundi onere deprimantur, sed solum Dei cultui intendant. Origenes citatus sic ait. Qui terrenis studiis vacant, non tam Domini, quam Pharaonis sacerdotes esse videntur. Festinamus ergo transire a sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad Sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est; quibus Dominus portio est.

Hinc ipse Origenes homil. 11. in Leuiti. ad cap. 20. Vt ipse legit. Separamini, qui portatis vasa Domini, & exite de medio eorum. Cur non explicat à quibus esset separandum? Cum diceret, Qui portatis vasa Domini. Quod ad sacerdotes referendum est, vt manifestum apparet, qui à mundo, ac illius concupiscentia separati debent esse, ait Origenes: sepe te à terrenis affectibus, separa te à concupiscentia mundi, omne enim quod est in mundo, secundum Apostolum concupiscentia carnis est; esto semotus, & separatus, & intra in templum Domini. Prius separandum, & postea intrandum in templum Dei, prius segeta te à mundo, & postea ingredieris in templum, vt Dominus adhaereas, eumque sequaris.

Cum comprehensus esset meus Iesus in horto. Adolescens quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. Marc. 14. num. 51. Valde mirum quod cum hic casus contingeret in limine noctis, adolescens nudus vna tantum sindone coopertus Dominum sequeretur, & ipsam sindonem dimittit, vt persequentes effugiat; & merito sane in magnum nostrum documentum, cum enim quis Christum sequitur, etiam ab omnibus denudatus, si vnam tantum breuem sindonem, ac amictum habet, illum abiciat, ne carnificum manibus ad extremam perniciem, ac casum veniat. Aposite D. Hieron. Epistol. ad Fabiolam. Sindone operius adolescens vincit Dominum sequebatur, incurrisset laqueos, nisi expeditus, & nudus persequentium impetum declinasset.

Vltima Canticorum verba cap. 8. num. 14. sunt: Fuge dilectam mi. Valde mirum, quod tam largus, ac affectuosus amoris sermo contentus in toto Cantic. libr. hanc habeat clausulam. Fuge dilectam mi. Videbatur consequens vt ex tam diffuso, ac suauissimo amoris colloquio sponsa à suo dilecto totis viribus exposceret, vt minime absens fieret,

54. Origenes.

Genes. 47.

Num. 18.

Christi sacerdotes de spiritalibus.

55. Origenes Leuit. 20.

Sacerdos sit separatus à concupiscentia mundi.

56.

Marc. 14.

Qui Christum sequitur, vestimenta abiciat, ne perireat.

57. Cantic. 8.

fieret, sed cum ea commoraretur. Quid est, quod modo fugam suadet, & non antea, nec in exordio, nec in medio, sed in fine sermonis? Quamdiu sponsa in se non agnouit vires vt omnino relinqueret terram: Non suadet dilecto fugam à terris; at verò cum se iam ad tantam perfectionem deuentam esse animaduertisset, vt totaliter dimitteret terram ex animo, tunc rogat eum, vt à terris recedat, cum ipsa eum terram relinquente sequi valeat; solus enim ille, qui hæc caduca ex corde deponit, comes Iesus fieri potest, & eique semper adherere. D. Ambros. lib. de bono Mortis. cap. 5. Hortatur, ait, vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest, etiam ipsa terrena fugientem.

Qui terram relinquit, Christum sequi valet.

Ambros.

QUESTIO IX.

Quare Dominus mandat renuntiare omnibus, cum multis liceat possessa retinere?

58.

Tobias 4.

Ecles. 5.

59. Caictan.

Vir perfectus renuntiat omnibus.

August. Bonauent. Carthuf. Hugo.

60. Gregor.

Psal. 10. Spiritus principalis Domini natio affectuum. Chrylost. 61.

DIFFICULTAS quæstionis est, quia multi v.g. sæculares, licite, imò & fructuosè retinent sua bona, cum eis multas elemosynas faciant; vnde dicebat senior Tobias filio suo. cap. 4. n. 8. Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit abundanter tribue: si exiguum, etiam exiguum. Et Ecclesiastes. 5. n. 18. dicitur. Omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis. Hoc est donum Dei, &c.

Solutio est cum Caictano, cæterisque expositoribus communiter, quod hæc Christi doctrina, qua mandat renuntiare omnibus, non sit præceptum, sed consilium, ac si dicat Christus; Qui vult sequi vitam, ac perfectionem Evangelicam paupertatis, & prædicationis, quam ego profiteor, vt sit meus discipulus, vt sunt Apostoli, in facto, & executione omnibus debet renuntiare. Et hoc spectat ad viros perfectos; omnes tamen Christiani tenentur in voto, ac animo esse parati, vt cum persecutio, vel necessitas exigit pro fide Christi pati iacturam bonorum, parentum, & propriae vitæ. Beda. In præsentia. Distat sane inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia, curas mundi postponere, solis desideriis inhære. Cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, quæ possident, hoc est sic tenere quæ mundi sunt, vt tamen per ea non teneantur in mundo, habere rem temporalem in usu, æternam in desiderio, sic terrena gerere, vt tota mente ad caelestia tendant. Quod etiam docent D. Augustin. Epistol. 89. D. Bonauent. Carthusian. Hugo, & alij.

D. etiam Gregorius homil. 15. in Ezechiel post medium. Multi, ait, possidendo renuntiant, qui sic ad usum possessa retinent, vt eis desiderio non succumbant, &c. Sunt qui temporalia sic possident, vt ab eis nequaquam possideantur, poterit vtique talis aliquando æquialere ei, qui renuntiauit, cum illorum cupiditate minimè inescatur, ac detineatur; qui tam sublimis spiritus est, vt appelletur à Regio Vate spiritus principalis. Psalm. 50. n. 14. Spiritu principalis confirma me, vt interpretatur D. Chrylost. homil. de Spiritu sancto. tom. 5. Petrus David, ait, Spiritum, quo dominetur, & sit princeps affectionum suarum. Hunc vocat. Spiritum principalem. Moriturus Iacob in signum eximij sui amoris ait filio suo Ioseph. Do tibi partem vnã extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrbai in gladio, Sylucira in Euang. Tom. IV.

arcu meo. Genes. 48. n. 22. Pars hæc singularis, quam ex diuisione Chananeæ exemit Iacob, deditque speciali donatione Ioseph, fuit ager vrbs Sichem; vnde Septuaginta vertunt. Do tibi Sichemam præcipuam super omnes fratres tuos. Cur Iacob magis eligit agrum illum, vt tanquam rem magnam singulariter delegaret suo dilecto Ioseph, quam quodcumque aliud donum, quibus multis abundabat. Cum ipse esset valde locuples? In agro illo prope urbem Sichem sepeliuit Iacob idola. Genes. 35. n. 4. Ibique insudauit, cum ea infoderet, ac terra obrueret; imò & Sichem laborem denotat, sicut & idola nostros appetitus, ac concupiscentias. Iacob ergo sibi peruasit nullam pretiosior rem posse pro magno beneficio, ac amore filio suo Ioseph in hereditatem instituire, quam agrum illum, tanquam laboris, ac fudoris documentum, vt inordinatas appetitiones subterret, easque pedibus conculcetur. Nulla amplior hereditas, quam delegata instructio in agro Sichem, vt concupiscentia idola nostrorum affectuum conculcatione terra obuertentur, sub plantisque prosterentur. D. Nilus in Ascet. Beatus Iacob, ait, Deos alienos in Sichimis abscondit. Porro Sichima, quod est humerus, significat laborem, qui in domandis cupiditatibus signatur, quare Iacob partem eximiam dat Ioseph ipsa Sichima, quam in arcu, & gladio suo se dicit acquisisse, in qua demonstrat, se certando, & laborando vitia superasse.

In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Psalm. 62. n. 3. Alij apud Lorinum suppleunt, sicut in sancto, seu sanctuario, vidi te. Valde mirum, quod in terra illa felici, in qua homo apparet Deo, & ipsum Deum videt, appellet Vates terram deserti, seu solitudinis, siccam, aridam, squalidam, horridam, & stridendam, vt ibi legit Hebraeus, à præsentia Dei dicenda erat terra plena omni bono. Plena est omnis terra gloria eius. Isai. 6. à facie scilicet eius; Dicendaque erat terra irrigua, fecunda, ac iucunda. Mons Dei, mons pinguis. Psalm. 67. n. 17. Alij legunt Mons irriguus. Quomodo ergo terra illa, quæ Dei præsentia nobilitatur, dicitur terra deserta, inuia, & inaquosa. Loquitur Propheta iuxta D. Hieron. de terra corporis nostri; tunc enim homo aptus est, vt appateat Deo in sancto, seu eius sanctuario, eius præsentia fruens, cum terra corporis sui deserta est à vitiiis, inuia cupiditatibus, inaquosa libidinis delectationibus. D. Hieron. Epistol. 46. In sancto, ait, ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mundanis deliciis, inuia inimicitias, & concupiscentiis, & inaquosa illecebris.

Genes. 48.

Septuag.

Genes. 35.

Proprios concupiscentias calcare magnum donum.

Nilus.

62. Psalm. 62. Lorin.

Hebr.

Isai. 6.

Psalm. 67. Tunc homo apparet in sancto, cum suas concupiscentias abiciit.

Hieron.



CAPVT XXVI.

Ouis, ac drachma perditæ.

LUC. 15. n. 1. Erant autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

Num. 2. Et murmurabant Pharisei, & Scribæ dicentes: quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

RR VERSIO



VERSIONES.

Theoph. Vatab. Accedebant autem ad eum omnes publicani, & peccatores.

Tertul. lib. de Pharisei indignati miffita- pudicit. c. 7. bant.

Syriacus. Iste peccatores suscipit, & cum eis esitat.

Euthymius. Et cibum capit cum illis.

EXPOSITIO I.

ERANT appropinquantes. Simon Cassian. lib. 6. cap. 14. Ecce opportuna peccatorum actio, importuna calumnia Iudaeorum: Opportunae gratiae currunt ad medicum, importune vero Iudaei de remedio obmurmurant. Erant appropinquantes. Duplici sensu explicari potest. Primo. Quia solebant familiariter accedere ad illum, Matth. 9. n. 11. Vel quia hoc eodem tempore post superius dicta accesserunt, eius humanitate, ac benignitate freti. Ut ait D. Bonavent. Quia neminem fastidiebat, neminemque repellebat. Erant appropinquantes, non solum gressu corporis, sed etiam animi affectu. At vero Iudas in Horto accessit ad Magistrum gressu corporis, non cordis; ille alius Iudas filius Iacob accessit propius confidenter ad fratrem suum Ioseph. Genes. 44. n. 18. Ore, & corde, ut notat D. Anton. Olyssipon. Domin. 3. post Trinitatem, & inde totum negotium perfecit. Publicani. Beda, Haymon, Glossa, sic dicebantur, qui publica vectigalia exigebant, vel qui luca saeculi per negotia sectabantur. Et peccatores. Hugo. Publice peccantes intelliguntur, quia hic est vsus Scripturae, ut simpliciter peccatores publicos appellet. Mulier qua erat in civitate peccatrix. Luc. 7. Graecus habet omnes. Id est multi publicani, & peccatores, ut audirent illum, auribus mentis, & corporis, ut illi obedirent, ut ait D. Antoni. Citat. Concurrerant autem omnes ad Christum, ait Carthusia. Propter vitam, ac doctrinae eminentiam, miraculorum abundantiam, & quia Christus valde charitativus, dulcem compassionem, & pium se eis exhibebat. Haec benigna affabilitas omnium animos ad se allicit, ac attrahit.

Et murmurabant. Id est apud semetipsos, & populum sequacem clam id obmurmurabant, quod bene expressit Tertullian. Mussitabant. Et dicitur Pharisei, & Scribae eorum Doctores; qui maxime, ut ait Hugo, debebant gaudere, de peccatorum conversione, de illa tristatur, & malum pro bono reddentes contra Christi charitatem ira, odio, ac invidia armantur. Peccatores. Erant publicani, ac aliqui publici peccati nota infames. Recipit. Ad colloquium, conversationem, & societatem. Manducatur cum illis. Valde verisimile est, quod postquam Christus praedicaerat, ab eis oblato conuiuio excipiebatur, quibus concio placuerat. Christus autem Dominus, ut ait D. Chrysolog. serm. 29. Epulabatur, non cibis, sed reditu peccatoeis. Eosque Christus spiritali cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus.

Chrysolog. serm. 29. Epulabatur, non cibis, sed reditu peccatoeis. Eosque Christus spiritali cibo reficiebat, à quibus corporeo erat reficiendus.

Cassian. 1. Math. 9. Bonavent. Appropinquandum Deo corde, & corpore. Genes. 44. Anton. Beda. Haymon. Glossa. Hugo. Luc. 7. Graec. Carthus. Tertull. Hugo. Chrysolog.

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus cum esset ipsamet sanctitas, tam benigne peccatores recipiebat?

AD quaestionem responder. Primò, Theophyl. phylactus. Dominus quidem, ait, illud faciebat, cuius gratia incarnatus est, accedens publicanos, & peccatores, tanquam medicus infirmos. Nam, ut ait Paulus 1. ad Timoth. cap. 1. n. 15. Christus Iesus venit in hunc mundum, peccatores saluos facere. De seque explicat Christus Dominus locum Isai 61. num. 1. Spiritus Domini super me: propter quod unxit me Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, &c. Luc. 4. numero 18. Cum ergo Christus venerit, ut peccatores vocaret, ac reduceret ad viam penitentiae, in fine suae legationis, ac in re incepta persistit, peccatores colloquio, ac conversatione ad se recipiens; illud faciebat, cuius gratia incarnatus est. Hinc concio Christi erat. Penitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. Mat. 3. n. 4. De perfitendo in incepto. Vide supra c. 8. n. 17. & t. 3. c. 26. q. 12. n. 71. 72.

Secundò. Ut ait Lyranus. Optime sciebat Christus, quod Scribae, & Pharisei de ipso murmurabant, notantes eum, eo quod publicanis, ac peccatoribus amicabilem se praebat; tamen ob hanc calumniam, ab opere charitatis non desisteat Dominus, tales peccatores recipiens, ac admittens in sui societatem, & colloquium, ut eos ad penitentiam, ac iustitiam induceret, attendens magis hominum saluti; quam sui nominis claritati. Perbelle quaerit D. Ambros. lib. 5. in cap. 6. Luc. Cur Christus Dominus elegerit Iudam in Apostolum, quem reprobum esse sciebat. Respondet. Vi sciremus, ait, quanta sit moralitas Domini, qui periclitari magis iudicium, quam affectum maluit; susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusavit infirmitatis humane. Vide quanta sit moralitas Domini, hoc est benignitas, & amor, & quam multus sit in beneficiendo, qui non respuit obscuram notam, quod peccatores, & publicanos apud Phariseos, & Principes Iudaeorum infames, haberet in amicos, & socios, dummodo eximio amoris affectu eorum saluti consuleret; Qui periclitari magis iudicium, quam affectum maluit. Sic & in presenti applicatur. Qui periclitari magis iudicium. In talibus amicis eligendis, quam affectum maluit. Ut illis viam salutis non ostenderet. Susceperat enim hominis fragilitatem, & ideo nec has partes recusavit infirmitatis humane. Cum nostram infirmitatem susceperet Dei filius, non renuit illam infirmitatem, ut sui iudicij electio apud iniquos, & peruersos periclitaretur, dummodo peccatoribus salutis remedia exhiberet. Vide supra cap. 8. quaest. 6. n. 55.

Tertio. Cardinalis Hugo: Appropinquantibus, ait, Christo corde, & corpore veniam postulando: appropinquauerat etiam ipse gratiam insudando. Ait Iacobus Apostolus cap. 4. num. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Nec mittam, quod Iacobus Dei appropinquationem promittat eis, qui ad eum accesserint, quando quidem ipsemet asseuerat, se appropinquare eis, qui eum non quaerebant. Isaias cap. 65. num. 1. ait, quem refert Paulus ad Rom. 10. n. 20. Inueniuntur à non quaerentibus me, palam apparui eis, qui me non interrogabant. Quod

3. Theophyl. 1. Timoth. 1. Isai. 61. Luc. 4. In incepto persistendum. Matth. 3. 4. Lyranus. Ambros. Magis periclitari iudicium, quam affectum maluit, & ideo nec has partes recusavit infirmitatis humane. Hugo. Iacob. 4. Christus appropinquat sibi appropinquantibus. Rom. 10.

Quod notauit D. Ambros. in exhort. ad Virgin. dicens: Cum caperis, ait, quare, adest. neque enim fieri potest, ut desit quaerentibus, qui palam factus est, non quaerentibus, & inuentus est à non interrogantibus.

Quarto. D. Anton. Olyssip. D. Bonau. Haym & alij. Recepti peccatores, inquit, qui venerat quaerere peccatores, ut eos saluos faceret. Magnum sacramentum huius rei nobis praebet scala Iacob, qui cum vnium lapidem supponeret capiti suo, ac obdormisset. Vixit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius attingens caelum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes, & Dominum immixtum scale, Genes. 28. n. 12. Pedes huius scale nitebantur in lapide, super quem caput Iacob erat reclinatum, qui lapis typum exprimebat Christi sub nostro mortali indumento; quid est quod fastigium scale innitebatur in patre, pedes vero in Christo, & tunc ascendunt, & descendunt Angeli? Quinam sunt isti Angeli. Auctor est D. Anselmus, quod ascendentes iusti erant, qui à Patre ad aeternas coronas vocabantur; descendentes vero peccatores extabant, quos Christus lapis vnium ad scale pedes prouoluit ad se trahebat, alliciebat, ac vocabat, ut eos humeris, ac peccatores recipiens, sua diuina gratia calefaceret, ac purificaret, ut ex peccatoribus iusti facti ad Patrem aeterna praemia recepturi destinaret, ac mitteret. Sicut ad Deum Patrem aduolabant iusti ad praemia, sic & ad Christum ad gratiam, & sanctificationem currebant peccatores. D. Anselm. serm. in cap. 3. Luc. Lapis, ait, capiti superpositus, & velut fundamentum scala factus Christus est; qui seipsum humiliavit, ut omnes suos exaltaret, qui sicut fundamentum omnes portat, & à nullo portatur, & per hanc scalam alij ascendunt, alij descendunt; ascendunt, qui proficiunt, descendunt, qui desiciunt.

Postquam Israel in magnum idololatriae crimen prolapsus est, ait Deus Moyli: Mittam praecursorem tuum Angelum, & c. & intres in terram fluentem lac, & mel, non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est, Exod. 3. n. 2. & 3. Maxime expendenda est ratio appofita à Deo. Non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est. Nam ut ait D. Augustinus quaest. 150. Magna sacramenti, & mira profunditas, tanquam maiorem misericordiam posset Angelus habere, quam Deus, qui populo durus cervicis parceret, cui Deus, si cum illis esset, non parceret. Nunquid in Angelo esset maior tolerantia ad sustinendum populum delinquentem, quam in ipso Deo; Deus summa bonitas, & ex sua infinita pietate multus ad ignoscendum; Angelus vero creatura, & minister, & inde crudelior, quomodo ait Deus: Mittam praecursorem tuum Angelum, non enim ascendam tecum, quia populus durus cervicis est. Angelus hic assignatus à Deo ductor in terram promissionis praefigurabat Christum Dominum in carne venturum; ut tradit Rupertus ad illud Exod. 23. num. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te. Inquit ille: Protnitit Angelum, id est, Christum Saluatorem, & consuetudinem legis, qui quidem magni consilij Angelus est. Quod etiam docent D. Augustinus citat. & alij. Ac si diceret Deus; si populus esset innocens, & purus. Ego dux viae essem, at verò quia durus cervicis est, multaque peccatis inuoluitur, ne forsitan in mea vindicta periculum veniat, ideo mittam Angelum, ut praecedat in figura filij mei in carne assumpta, cuius eximia pietas, decus, ac imperium, & munus maxime nitet inter peccatores agere, ac commorari, eosque quaerere, ut ad res

5. Hugo. Iacob. 4. Christus appropinquat sibi appropinquantibus. Rom. 10. Quod

eam viam terrae promissionis inducat. Ne ergo aegros à medico, & filium meum ab officio sibi commisso seingamus, eum in typo praecursorem tecum praemittam, ut te dirigat via recta in terram fluentem lac, & mel, id est aeternam beatitudinem abundantem omni caelesti dono, & gratia.

QUESTIO II.

Quare Pharisei, & Scribae murmurabant, quod Christus Dominus peccatores recipere?

RESPONDET primò Glossa Interlinealis ad illa verba, hic peccatores recipit. sic habet: Quasi dicant: contrarius est legi, quae hoc prohibet. In lege tamen veteri non esse prohibitum cum peccatoribus, & publicanis versari, & manducare probat Abulen. Matth. 9. quaest. 54. & communiter idem docent Patres, & expositores, nec assignabitur locus, in quo talis prohibitio extat; si vero obiciatur locus Pauli 1. Corinth. 5. num. 11. Si is, qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Respondetur primò cum Caierano, quod Apostolus hoc praecipit, ut peccatores tali poena afficiantur, ac proinde in suorum delictorum supplicium ab eis fugiamus. Ut Ecclesia mandat excommunicatos vitare. Secundò mandat Apostolus à peccatoribus declinare, ut ipsi confundantur, & respiciant, ut scribit 2. ad Thes. 3. num. 14. Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc nota te, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Tertio. Consortium peccatorum est fugiendum, quando periculum est, ut eorum vita transfundatur, ab eisque fomentum ad peccandum participetur. Sic mandat Deus Israelitis. Non inibis fedus cum eis, scilicet Chanaanais, ne forte peccate faciant, Exod. 23. num. 32. Quarto. Pastores, Magistri, ac Doctores spirituales peccatores non fugiunt, sed multa benignitate recipiunt, ut eorum morbis medicamina adhibeant, ut late docet D. Basilus in Moralibus, Regula 52. cap. 3.

Secundò D. Gregorius Magn. homil. 34. Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores. Quod videntes, ait, Pharisei indignati sunt. Ex qua re collige, quia vera iustitia compassionem habet, falsa iustitia indignationem. Vera Christi iustitia peccatoribus compatiebatur; falsa verò Phariseorum iustitia eosdem dedignabatur, eosque à se repellebant, tanquam sua conversatione indignos. De legis prophana toribus conqueritur Deus apud Isaiam cap. 65. num. 5. Qui dicunt recede à me, non appropinques mihi, quia immundus sum. Seu ut habet Chald. Purior te sum. Ex fastu Iudaei illi auerfabantur Gentiles, ac alios ut peccatores, cum ipsi immundiores essent, tunc immediate subdit Deus: Isti sumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. id est conuertentur in fumum, & ignem, ut explicant D. Hieronymus, Forer. Adamus, Cornel. Sà, & alij, cur isti inflati ibunt in ignem, & fumum. Hugo: Quia tales in presenti sumo superbia inuoluti sunt, & igne concupiscentiae accensi, quantum ad effectum, deo in furore conuertentur in ignem inferni, & sumi tota die, id est semper per omne saeculum. Poena respondeat culpa, quia isti de sua iustitia falso praesumentes, per superbiam

8. Interlin. Abulen. Matth. 9. 1. Cor. 5. Caieran. 2. ad Thes. 3. Exod. 23. Basil. 9. Gregor. Vera sanctitas de peccatoribus habet compassionem. Isai. 65. Chaldzus. Hieron. Adamus. Cornelius. R. R. 2 perbiam